DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, *DE* LETHARGO.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER-OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. PHILIPPI REINHARDI VITRIARII,

J.U.D. ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Ordinarii.

NECNON

Ampliſſimi Senatus Academici unanimi Conſenſu,

& Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

JOANNES HOOFD, WEST-ZAN. BATAV.

Ad diem 16 *Octobr. horis locoque ſolitis*



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,

Academiæ Typographum. MDCXCIII.

DEO
TER OPT. MAX.
PATRI,
CONSANGUINEIS,
PRÆCEPTORIBUS,
atque
AMICIS.

Hanc ſuam inauguralem diſputationem ſacram facit.

JOANNES HOOFD.

Auctor.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

LETHARGO.

§. 1.

UTI Somnus Naturalis atque Moderatus hominem maxime juvat, & ad ſanitatem conſervandam ſummoperè eſt neceſſarius; ſic etiam immoderatus atque præternaturalis hominem Valde lædit; uſque adeo ut aliquando morbi perquam difficiles, imo ipſa mors ipſum inſequantur. Cum igitur de ſomno præternaturali ac ac immoderato agere impræſentiarum ſit animus, qui ſpeciali nomine Lethargus vocatur, pauca de ſomni naturalis Cauſis præmittam.

§. 2.

Somnus nempe Naturalis fit, quando omnes corporis noſtri motus voluntarii ceſſant, excepta reſpiratione ſola (quæ partim voluntarius

tarius, partim involuntarius dici poteſt) manentibus reliquis motibus, involuntariis integris.

§. 3.

Motus voluntarii ſunt omnes illi, qui a noſtra voluntate dependent & ab hac diriguntur: fiunt autem hi motus a certa quâdam determinatione ſpirituum animalium in cerebri parte corticali ſecretorum, & per nervos in partes muſculoſas motibus perficiendis deſtinatas influentium, ſine quibus nulla actio aut nullus motus perfici poteſt. Cum autem tranſpiratione diurna, mediantibus corporis noſtri actionibus adaucta, magna ſpirituum copia avolârit, Maſſa ſanguinea iis deſtituta tardius movetur ac fit craſſior: hinc igitur propter minorem copiam, minor eſt ſpirituum Animalium ſecretio: Secundo cum Maſſa ſanguinea ſit conſiſtentiæ craſſioris, quam antea cum ſpiritibus turgeret, difficilius vaſa capillaria arteriarum tranſit, cum tamen, a ſanguine continuo a tergo accedente, nec juſta celeritate tranſeunte, fiat preſſio, vaſa neceſſario diſtenduntur, qua diſtenſione tubuli nervorum propter minorem ſpirituum copiam etiam minus reſiſtentes, comprimantur neceſſe eſt, atque hoc modo ſpirituum animalium influxus ad partes tam ſenſui quam motui dicatas imminuitur, & anima ab objectis difficilius afficitur, hoc autem modo ſomnum naturalem fieri mihi perſuaſum habeo. Pergam nunc jam ad ſomnum præternaturalem lethargum ſc:, meæ diſputationis ſubjectum.

§. 4

Ne autem a vulgari methodo diſcedam, ab origine vocis faciam initium. Lethargus eſt vox Græca & derivatur ἀπὸ τῆς λήθης ἀϱγῆς, id eſt, ab oblivione inerti aut cum ignavia conjuncta, quaſi dicas oblivionem inertem, quoniam iis, qui hoc malo laborant, memoria ita læditur, ut nihil eorum quæ vel fecêre vel audivêre, meminerint; ſed ſemper oculis clauſis ac in ſomnum propenſis ſepulti jaceant. Latinis Veternus dicitur: Verum hæc, cum magis ad Grammaticos, quam medicos pertineant, omittimus.

§. 5.

§. 5.

Definitur antem Lethargus, quod ſit ſopor præternaturalis valde profundus, cum inſigni oblivione, delirio atque febre lenta conjunctus.

§. 6.

Differt a morbis ipſi conſimilibus, & quidem primo ab Appoplexiâ, quoniam in hac ſymptomata ſunt Majora, i nter reſpirandum ſtertor adeſt, qui in Lethargo non obſervatur, item febris in Apoplexia abeſt., qui in Lethargo adeſt: præterea Apoplexia hominem invadit ſubito, non vero Lethargus, qui ſenſim accedit.

A Caro differt ratione ſymptomatum, quæ in hoc ſunt majora. Ægri nec ad clamores, vellicationes, aut punctiones oculos aperiunt, aut expergiſcuntur, adeo ut ſola reſpiratione differe a mortuis videantur: febris etiam abeſt.

A Catalepſi differt, quod hoc morbo, membra eodem in ſtatu, quo erant invadente paroxyſmo, permaneant rigida. ex: gr: ſi in paroxyſmo Catalepſeos oculi eſſent aperti, brachium extenſum, & Corpus erectum ſtans, eodem in ſtatu manerent, ni forſam membra ab alio determinarentur, quæ determinatio, ceſſante determinatore, ſtatim ceſſat, & corpus ut fuit determinatum, manet.

A Paſſione Hyſterica; quia Lethargici excitati reſpondent, non vero mulieres paſſione hyſterica laborantes, quæ aliquando ſine reſpiratione ac pulſu mortuorum ad inſtar jacere ſolent.

A Comate ſomnolento differt, quod ſymptoamta ſint mitiora, ſomnus enim acceſſione febris ingraveſcit, remittente febre remittit, quod non obſervatur in Lethargicis: ſed ſemper æque eſt profundus, ægri ad interrogata reſpondent.

A Comate Vigili differt, quoniam hic tantum adeſt in ſomnum propenſio, ſed ægri revera non dormiunt.

§. 7.

Partem affectam quod attinet hanc judicio eſſe cerebrum atque cerebellum, quatenus organum ſecretionis ſpirituum animalium conſtituunt.

Cauſas quod attinet, has agnoſco eaſdem cum iis, quæ ſomnum naturalem inferre diximus; ſed majores tamen: inter eas meo judicio proxima dici meretur ſpirituum animalium impedita ſecretio, quæ oritur a viſcoſitate ſanguinis, ſpiritus animales involvente, quæ cauſa mediata proximior exiſtit: inter remotiores cauſas eſt aër, qui ſi fuerit humidus & frigidus, tranſpirationem impediendo, nec ſanguinem in pulmonibus exaltando, ſanguinem viſcidiorem & craſſiorem reddere poteſt.

Nec minus incommodi adferunt cibus & potus. Cibus quatenus craſſior exiſtens atque viſcoſior craſſum atque viſcoſum fundit chylum, qui chylus iterum ſanguinem efficit craſſum atque viſcoſum atque hoc modo huic malo viam ſternit.

Potus præſertim ſpirituoſior & ad ebrietatem crebrò hauſtus, quatenus maſſam ſanguineam nimis celeriter agitando ejus partes nimis dividat, atque hoc modo ſpiritibus animalibus avolandi occaſionem præbet, quibus deinde exhalatis, maſſa ſanguinea relinquitur iners, viſcoſa, atque huic morbo producendo apta nata.

Somnus & vigiliæ ſi modum excedant, eadem ratione peccant quam motus & quies: motu enim nimio ſanguinis particulæ diſſolvuntur quam maxime, hinc ſpiritus per tranſpirationem exhalandi occaſionem nacti, in auras avolant, atque M. S. Vappidam relinquunt aut viſcidam.

Quies nimia motui nimio contraria M. S. valdopere lædit quatenus ejus circulationem non promovet, atque hinc particulas viſcidiores in ſanguine hærentes minus dividit, quæ alias per inſenſibilem tranſpirationem exhalare deberent, nunc in ſanguine manent & morborum multorum aliorum cauſæ eſſe poſſunt.

Exereta & retenta: quatenus prima in exceſſu peccantia M: S: ſucco nutritio defraudant. 2. particulas craſſiores aliaſque crudiores ad M: S: dimittunt, unde eam varie turbant, variiſque obſtructionibus anſam addunt.

Plures aliæ poſſunt eſſe cauſæ, quæ hunc morbum producere valent; ſed in eo tamen convenire debent, quod ſpirituum animalium motum præpediant.

§. 9.

Hæc de cauſis dicta ſufficiant: quibus igitur omiſſis ad ſymptomata ex iis exſurgentia accedo, quorum primum ſe ſiſtit ſopor valde profundus, qui quomodo producatur ſupra videre eſt §.3. nihil enim differunt niſi ſecundum magis & minus.

Oculos poſt clamores ac vellicationes vix attollunt Lethargici, primo quoniam ſpiritus animales parciori copia ſecernantur, nervos minus tendunt· Secundo à ſanguine ſecernuntur ſpiritus craſſiores minus agiles, qui hinc difficilius moventur ab objectis. Hinc ſi clamores ad auris tympanum pertingant mediante aëre, & ope oſſiculorum auris, ſc. incudis, malleoli, & ſtapedis, nervus auditorius vellicetur, tamen anima & propter ſpirituum animalium tarditatem, & propter nervi minorem tenſionem, talem exinde ideam concipere nequit. Idem eſto judicium de vellicatione in aliis partibus.

Oblivio etiam adeſt, quoniam ſpiritus craſſiores & nervi minus tenſi exiſtentes objecta difficillime atque leviſſime tantum ad animam deferuntur, unde leviſſima etiam ſpirituum fit determinatio, quæ, & propter defectum & propter malam eorundem diſpoſitionem ſtatim ceſſat.

Delirium quod hic obſervatur credimus eſſe tale delirium, quale in dormientibus vulgo contingere ſolet, quamvis non negamus, id, propter ſanguinem craſſum, etiam fieri poſſe ex meningum obſtructione, atque hinc inflammatione, unde tunc verum poſſet oriri delirium.

Febris ſanguinis perturbatæ mixturæ aut ſanguinis particular. ab invicem ſeceſſioni erit adſcribenda.

Pulſus eſt celer propter ſanguinis viſcoſitatem, ſanguis autem viſcoſior cum diffilius ex arteriis in venas tranſeat, fit quod una vice ex cordis thalamis expelli nequeat, quoniam, quo tardius progreditur, eo minus ſpatii in arteriis Cordi vicinis, ſingulis pulſibus, ſuppeditat, hinc cor iterato id efficere debet, quod alias ubi ſanguis eſt tenuior & ſubito ac ſat cito profluit, unicò ictu facere poſſet. Pulſus item eſt mollis primo quia ſpiritus animales non tanta copia in cor influentes non tanta cum vehementia id contrahunt, præterea cum cum ſanguis viſcidior ſit nec tanto inteſtino motu gaudet, hinc non tam fortiter arte-

riarum

riarum latera expandit. Inæqualis nonnunquam percipitur, ex inæquali ſpirituum animalium in cor influxu.

Reſpiratio eſt lenta ob ſpirituum animalium eum efficientium deficientem copiam.

Urina eſt craſſa & turbida propter cruditates in ſanguine contentas & cum urina excretas.

§. 10.

PROGNOSIN quod attinet Celſus cap. xx. lib. 3. pag. mihi 158. hunc morbum ex acutorum genere aſſerit, atque niſi ſuccurratur celeriter jugulare.

Symptomata autem quo ſunt graviora eo prædicunt majus periculum.

Sic etiam ubi malum indies augetur nil ſane boni ominari licet; vel ubi convulſiones & tremores accedunt, & quando urina ſponte effluat, quod fit propter muſculi ſphincteris Veſicæ paralyſin.

Peſſimum etiam ſignum eſt, ſi reſpiratio ſit tarda cum ronchis magnis.

Major item ſpes eſt ſi Juvenis robuſtus hoc malo corripiatur quam ſenex, ſi fuerit reſpiratio liberior, ſi ſenſus & memoria aliquatenus adſint, ſi excretiones per alvum aut per os, aut etiam per ſudores cum levamine fiant.

Finiri aliquando per parotides ſolet.

Urina etiam turbida præſtat quam clara.

§. 11.

Omiſſis iis, quæ ad prognoſin ſpectant, ad curam me confero, in qua primum attendendum eſt ad ægri excitationem, deinde ad ſanguinis viſcoſi attenuationem, & correctionem, tertio ad hujus mali præſervationem, ne ſemel profligatum facile redeat.

Primum ſcil. excitationem quod attinet, æger excitandus erit clamoribus proprii nominis, vociferationibus, tympanorum atque tubarum ſonitu, punctionibus ſub unguibus in extremitatibus digitorum: frictiones item aſperæ inſtituantur calide in dorſo

dorſo & artubus, hoc autem modo Nervoſum genus vellicatur quam maxime, & anima hinc valde afficitur, unde tunc pro varia, quam inde concipit idæa, varie ſpiritus animales determinat, & hoc modo ſomnus arcetur & motus introducitur corpori.

Naribus admoveantur ſpirituoſa atque volatilia, qualia ſunt ſpiritus ſalis armoniaci, ſp. vol. ol., Caſtoreum, item aſſa fœtida, galbanum: etiam odorifera, uti ſunt Balz. apoplecticus, qui temporibus illiniri poteſt, aliaque ejuſdem generis.

Hæc autem particulis ſuis volatilibus genus nervoſum vellicant, ejuſque ſicut & arteriarum uti & venarum poros ſubintrant, ſeſeque cum M. S. miſcent & eam dividendo, viſciditates diſſolvunt atque hoc modo ſpirituum animalium ſecretionem promovere intendunt.

Veſicatoria apud quoſdam magni æſtimantur, ſi capiti poſt aures, aut deraſis capillis ſupra ipſam verticem applicentur.

Veneſectio etiam apud nonnullos plurimi fit, inter quos Cl. Sennertus, Henricus Regius, etiam Thomas Williſius Nob. Aug. numerantur, quorum primus materiam peccantem à capite ad alias partes revellere tentat: alii autem hoc modo obſtructionem tolli poſſe ſibi imaginantur, atque ſanguinem ſtagnantem in motum reducere: Nos vero qui revulſioni locum non concedimus, & nec obſtructionem concipimus, ſive eam concipiunt in arterijs, ſive in venis, aut etiam in cerebri glandulis, aut nervis, ſed ſolummodo viſciditatem ſanguinis, atque hinc per conſequens ſanguinis circulationem tardiorem &c. quare venæſectionem rejicimus; cum noſtræ indicationi nullo modo ſatisfacere queat: quoniam ea mediante ſpiritus animales ſimul cum ſanguine auferuntur, ſecundo in Venæſectione ubi ſanguis eſt tam Craſſus, pars ejus ſubtilior & magis fluida facilius per factum foramen prodit quam quæ eſt viſcida magis, unde noſtro judicio hoc modo malum augetur & non imminuitur, uti decet.

Clyſteres acres etiam hic ſuum officium faciunt, quatenus materiam viſcidam in inteſtinis hærentem incidendo & inteſtina vellicando ſpiritus animales in motum concitant, alvum laxando particulas craſſiores aliaſque heterogeneas ad ſanguinem per vaſa lactea atque chylifera acceſſuras educunt. Formula poſſet eſſe ſequens.

℞. Herb. Majoran. Menthæ, ſalviæ, roriſmarini aa Mß.
Flor. Lavend. Chamomillæ, aa. p. j.
Seminis Aniſi, carui, fœniculi aa ʒijß.
decoquantr. in ſ. q. Aq. Salſæ, Colat. fortit. expreſſæ
℥viiij. adde el. hieræ picræ galeni. ℥jß.
diacatholici ℥j.
Trochiſcor. alhand. ℈ß.
M. F. S. A. Clyſter.

Si jam æger his & ſimilibus fuerit excitatus, nec alvus reſpondeat, inſtituenda erit purgatio, ut hac mediante viſciditates in primis viis hærentes evacuentur quæ morbo alioquin quaſi pabulum eſſent futuræ, formula ſit ſequens.

℞. extracti Catholici g: xx.
reſinæ Agarici g: vI
mercurii dulcis g: IV.
Sal. tartari g: iij.
ol: Chariophillor: Ciaöi, ſuccini aa g: I.
C: ſq. Træ Caſtorei F. Pill: vII.

Si autem ſuſpicio ſit ventriculum magna viſciditate eſſe oppletum, & æger ſit nauſeoſus, ad vomitum inclinans vomitorium propinetur ob mox dictam rationem.

Formula ſit ſequens. ℞. tartari Emetici g: iij. IV. vel v. pro ratione ægri diſſolvantur aq. roſacea & tepide propinentur.

Viſcoſâ materiâ ex primiis viis per præcedentia evacuatâ, decoctum, ſanguinem attenuans & viſciditates incidens non eſſet noſtro judicio in conveniens, quale ex: gr: ſequitur.

℞. ligni Saſſaſras ℥iv.
Cort: tamariſci, rad: Capparum aa ℥j.
Herb. Betonicæ, Meliſſæ
ſalviæ, thymi aa Mj.
Cardui benedict,
Summitt: Centaurii min: aa p. ij
Sem. fœniculi vulgar: ʒiij
Cort. arantior.
Citrion. exterior. ſiccat. aa ʒij
ſal. tartari ʒv.
Coq. ſ. a. in ſ. q. Aq. Coïs ad remanentiam
℥XL. Col. addendo Syr: de ſtæchade ℥ij.

Aq.

Aq. Vit. Matth.
Cinnamom: opt: aa ℥j.
ſal. vol. aromatici ol. ʒij.

F. S. A. Apozema, de quo ter aut quater de die ℥iij. aſſumantur. Si forte cuipiam decocti doſis major diſpliceat huic poterimus mixt. præſcribere, de qua 4. 5. aut ſexies de die cochlear unum ſumat. Sequitur formula.

℞. Aq. Meliſſæ ℥ijß
Ciaöi vitæ Matthioli aa ʒvi
tinct. Caſtorei, ſuccini aa ʒj
antimon. diaphoret. ℈ij ſalis vol. ſuccini ℈j.
Syr. aurantior. de ſtoechade aa ʒv
ſp. vol: arom: ℈j M: ſ. a mixtura.

Si æger autem præcedentibus aliquatenus convaluit, poterunt loco hujus præcedentis mixturæ præſcribi, quæ in minori doſi aſſumantur, ſtomachum reſpiciunt & ſimul ſpiritibus reſtaurandis ſunt dicata, quorum exemplar hoc eſto

℞. elix: prop: paracelſi ʒjß
ſal: vol: ol: arom:
ſp: ſal: armon: aa ʒj
ol: mac: Ciaöi ſtill.
charyophillor: aa gtt. ij.

Mixta dentur uſui, doſis ſunt guttæ xx ad 30 & plus in vino generoſo vulgo Sek.

Poteſt etiam in uſu haberi ſemper aut ſaltem plerumque vinum quoddam medicatum, quod malum hoc advertere etiam valet, uti hic ſequitur.

℞. Rad: angelicæ, ʒvj
galangæ minor: ℥ß
Calami Aromat: ʒijß
Herb: majoran: meliſſæ
ſalviæ, aa Mj
Summitt: Cardui Benedict. abſinthii
Centaurii min: aa pij.
Cortic: Arantion. Citerior: exterior: aa ʒij.
Aloes ſuccoterinæ lucidæ ʒiijß.
ſalis tartari ʒv.

Infundantur in ſq: vini gallici ad ſupereminentiam aliquot digito-

gitorum. Doſis erunt ſingulis matutinis temporibus, Itemque veſpertinis poſt paſtum. ℥x. Cœterum victus rationem quod attinet.

Aër ſit calidus & ſiccus, hic enim multum ad ſanguinis diſſolutionem & attenuationem conducit, primo quatenus poros cutis aperit, ſecundo quod per pulmones attractus & ſanguini communicatus ipſum diſſolvit & hoc modo ſpiritus ad ſecretionem reddit promptiores.

Cibus ſit facilioris digetionis & boni ſucci, ut ſunt Juſcula carnium & capones aromatis conditæ; hæc enim ſanguini ſuccum ſuppeditant, qui facile digeritur & præterea ipſum ſpirituoſiorem & volatiliorem reddit.

Potus ſit Thea, Coffee, decoctum ex ligno Guajaco, china, ſarza parilla, ſantalo, cinamomo ei additis. &c.

Somnus & vigiliæ ne modum excedant, ſed mediocritatis limites ſerventur.

Idem dictum ſit de motu & quiete.

Alvus ſemper modice aperta ſervetur,

Animi pathemata fugiantur quantum fieri pote.

COROLLARIA.

I.

Sanguis non efferveſcit in corde.

II.

Fœtus non reſpirat in utero.

III.

Succus Pancreaticus non eſt acidus in ſtatu ſano.

IV.

Nec Bilis cum eo in duodeno efferveſcit.

V.

Fermentum aliquod, cibis diſſolvendis deſtinatum, in ventriculo adeſſe nullus dubito.

VI.

Omnis idea eſt vel extenſionis vel Cogitationis. vel earum modorum.

VII.

Vacuum in rerum natura dari negamus.

FINIS.